

EXEQUIARUM

ORDO.

TITULUS DECIMUS.

SUMMARIUM PRIMUM.

- 1 Consuetudo in materi a Funerum multum operatur
- 2 Nisi aliquid superstitionis contineat.
- 3 Ritus a Rituali praescripti omitti non possunt.
- 4 Singuli Ritus habent suam peculiarem significationem.
- 5 Tempus, et hora funeris determinari debet a Parochis.
- 6 Non potest esse nisi post spatium viginti quatuor horarum.
- 7 Funus, et Exequiae curandum est, ut fiant mane.
- 8 Cadavera non debent sepeliri tempore concursus.
- 9 Nocturno tempore fieri possunt funera.
- 10 Foeminae omnino repellendae ab Ecclesia tempore nocturno.
- 11 Prope noctem ducenda sunt funera.
- 12 Convocare clerum ad funus spectat ad Parochum.
- 13 Numerus Religiosorum statui debet ab Haeredibus.
- 14 Regulares impediri non possunt, quin Cadavera associantur.
- 15 Parochus assignare potest quoslibet, assignato numero ab Haered.
- 16 Episcopus non potest cogere, ut vocentur Clerici Ecclesiae Cathedralis.
- 17 Praeferendi sunt Clerici qui Ecclesiae Parochiali inserviunt.
- 18 Populus ad funus vocabatur cum tintinnabulis.
- 19 Hodie pulsantur Campanae ad convocandos fideles.
- 20 Pro re mortuali Campanae pulsantur per tres vices.
- 21 Samuel addit alias vices pro pulsatione Campanarum.
- 22 Pro Viris adultis tria signa dantur.
- 23 Pro Foeminis duo signa dantur.
- 24 Pro Sacerdotibus tum Saecularibus, tum Regularibus quinque.
- 25 Majora pro Episcopis, et Papa.
- 26 Nulla merces debetur pro signis, nisi pro Campanario.
- 27 Inter expensas funerum enumerantur illae pro Campanis.
- 28 Loco Parochi intelligitur Capellanus.
- 29 Color niger funebris est.
- 30 Pluviale quando in funeribus adhiberi solet?
- 31 Potest etiam deferri in asportatione Cadaverum.
- 32 Birretum deferri debet.
- 33 Pilei usus permittitur tempore pluvio.
- 34 Crux una tantum de jure est erigenda in funeribus.
- 35 Scriptores varii hujus materiae.
- 36 Abusus repellendi Crucem.

- 37 Constitutio Benedicti XIII, circa Crucem in funeribus.
- 38 Plures Cruces hodie possunt interesse funeri.
- 39 Confraternitates nullo modo erigebant Crucem.
- 40 Puellae Conservatoriorum erigunt Crucem.
- 41 Quando interest Capitulum, ipsum solum erigit Crucem, et defert Stolum.
- 42 Minor Sacerdos cedit majori.
- 43 Capitulum cum stola intrat Ecclesias Regularium.
- 44 Cum Cruce non potest funeri assistere in Ecclesiis Regularium.
- 45 Stola non tantum est signum Jurisdictionis, sed distinctionis.
- 46 Est Stola signum Parochialis dignitatis.
- 47 Clericus debet portare Crucem.
- 48 Sudarium appendebatur Cruci, quod prohibitum fuit.
- 49 Clerici deferre debent Aquam benedictam, et Aspersorium.
- 50 Domus Defuncti quatenus intelligi debeat?
- 51 Judex Sapientum Ferrariae exponitur in aedibus magistratus.
- 52 Parochus accedere debet ad domum Defuncti, ut elevet.
- 53 Una cum aliis invitatis.
- 54 Omnes congregari debent prius in Ecclesia Parochiali.
- 55 Decreta adsunt in contrarium.
- 56 Regularibus non licet expectare Parochos per vias.
- 57 Cerei non solum dantur pro eleemosyna, sed pro Ritu.
- 58 Numerus Cereorum in Constitutionibus Synodalibus describitur.
- 59 Pondus praescribitur ab Haeredibus.
- 60 Candelae distribuuntur: Intortitia accenduntur.
- 61 Lumina accensa in funere quid significant?
- 62 Haeretici improbant hunc usum cereorum.
- 63 Spiritus defunctorum non sunt inquietandi.
- 64 Aliae Eleemosynae distribuuntur praeter Candelas.
- 65 Panes quandoque distribuuntur pro eleemosyna.
- 66 Frumentum quoque defertur pro eleemosyna.
- 67 Distributio eleemosynarum fieri debet ad domum Defuncti.
- 68 Processio ordinanda versus Ecclesiam.
- 69 Designare viam spectat ad Parochos.
- 70 Spectat ad Regulares, quando defertur Cadaver ad suas Ecclesias.
- 71 Parochi tenentur associare Cadaver ad Ecclesiam Regularium, etiam extra Dioecesim.
- 72 Confraternitates Laicorum quando institutae?
- 73 Confraternitates tractu temporis declinavere.
- 74 Confraternitates multas abolevit Clemens Papa VIII.
- 75 Confratres Saccum de Tela induere debent.
- 76 Confraternitates nullum habent ordinem Hierarchicum.
- 77 Circa praecedentiam Confraternitatum standum est consuetudini.
- 78 Praecedentia semper danda est Clero saeculari.
- 79 Praecedentia inter Parochos datur secundum praerogativas Ecclesiarum.
- 80 Parochus a quo, et ad quem quomodo praecedere debeant?
- 81 Praecedentia Confraternitatum, et Puellarum.
- 82 Crux Parochi nunquam omitti potest.
- 83 Cruces aliae veniunt abusive.
- 84 Cruces Regularium debent deferri cum pallio.
- 85 Ratio hujus Pallii.
- 86 Pallium, seu Vilum pro Pastoralibus Baculis adhibetur.
- 87 Roma in materia Rituum est exemplar omnium Ecclesiarum.
- 88 Psalmi in Processione funebri an cantandi?
- 89 Psalmi quare canantur, et eorum significationes.
- 90 Parochus de cujus jure est Cadaver, semper praecedere debet.
- 91 Parochus non debet tenere lumen accensum.

1 2 3 Expositis in genere iis, quae in Exequiis necessario sunt observanda, procedit Rituale ad describendum Ordinem.

nem exequiarum, in quibus practice demonstrantur fere omnia illa, de quibus mentio fit in antecedenti generali Titulo, salva semper aliquorum locorum consuetudine, quae in materia funerum multum operatur, *cap. certifiari, de sepult. Innoc. in c. dilectus. num. 4. de capel. Monach. et in c. ad audientiam; nisi ista consuetudo aliquid superstitiosum in se contineret, vel aliquid omnino simile Ritibus Ethnorum, eo quia Ecclesia principaliter intellexit, per hoc Rituale obliterare, et prescribere huiusmodi superstitiosos, atque Ethnicos Ritus, quibus olim caeremoniae Sacrae abundabant, Rota in Romana Funeralium 15. Junii 1699. coram Molines, n. 2. Qui Ritus, a Rituali praescripti in exequiis mortuorum, omitti non possunt; ex Tit. anteced. §. 1. essent enim frustra ab Ecclesia instituti, si non observarentur, ut omissis generalibus, quae congeri possent in terminis funeralium, ait Text. c. officii, §. Si vero. Et c. final. de Test. c. ex parte, in fine de verb. signif. Cum singuli habeant suam peculiarem significationem, nempe Animas a corpore separatas vivere, immortalitatis dono gaudere, et defunctos in fide, resurrectionem, ac fruitionem aeternae gloriae expectare; ut ex S. Augustino in libro de Agenda cura pro mortuis: ex S. Hieronymo, Ambrosio, et aliis probant cap. non aestimandum 19. c. Animae 21. c. Tempus 23. c. Quia 24. et c. Quia divinam 28. causa 13. q. 2. et explicat late Card. Bellarm. Contr. T. I. l. 2. de funer. c. 9. et 10. Durant. et alii, in enunciata decisione, nmer. 3.*

§. I. Constituto tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, convocetur Clerus, et alii, qui funeri interesse debent, et in Parochialem, vel in aliam Ecclesiam, juxta loci consuetudinem, ordine conveniant; ac datis certis campanae signis, eo modo, et ritu, quo in eo loco fieri solet, Parochus indutus superpelliceo, et Stola nigra, vel Pluviali ejusdem coloris, Clerico praeferente Crucem, et alio Aquam benedictam, ad domum defuncti, una cum aliis procedit. Distribuuntur cerei, et accenduntur intortitia: mox ordinatur Processio, praecedentibus Laicorum Confraternitatibus, si adsint; tum sequitur Clerus Regularis, et Saecularis per ordinem, binique procedunt, praelata Cruce, devote Psalmos, ut infra decantantes, Parochus praecedente Feretrum cum luminibus; inde sequuntur alii funus comitantes, et pro Defuncto Deum rite deprecantes sub silentio.

5 6 7 8 Tempus funeris, et Exequiarum statuendum est a Parocho, qui est Dominus funeris, cadaveris, et sepulturae: sed hoc tempus debet esse juxta constitutiones synodales, et de jure non potest esse nisi post spatium viginti quatuor horarum, Possevin. de Off. Curat. et Barbos. d. c. 26. n. 57. Curare tamen debet omni studio, ut funus, et exequiae fiant in mane prout in antecedenti Titulo diximus §. 4. adeo ut Missa praesente corpore celebretur. Quod si hoc, justis de causis, fieri nequeat, tempus eligendam est tempore confluentiae Populi ad Ecclesiam distinctum, Synod. Ferr. Verme, c. de fun. et sepult. ubi id, quod dicit, de non aperiendis Sepulchris, dum Divina officia, ac Missarum Sacrificia celebrantur, et celebranda remanent in Ecclesia, eo mane, quo Cadaver est humanum intelligi debet pro sepeliendo cadavere, non autem pro deferendo, seu pro exequiis faciendis.

9 10 11 Nocturno tempore, exequias et delationem Cadaverum ad Ecclesiam, nemo quod sciam prohibuit nisi S. Carolus, Act. p. 1. conc. Prov. 5. p. 2. Sed hoc intellexit faciendum tempore Pestis. Caeterum pluries vidi nocturno tempore, deferri cadavera, praesertim Insignium, et nobilium Virorum, magna cum solemnitate, non obstante toties inculcata admonitione de non aperiendis Ecclesiis tempore nocturno. Quod si fiat ex necessitate, Foeminae omnino repellendae sunt ab ingressu. Circa quod plausibilior, et commodior regula erit, si sub nocte efferantur cadavera, adeo ut tempore debito, expeditum sit funus, atque ideo claudantur Ecclesiae, tempore noctis.

12 Clerum convocare ad interessendum funeri spectat item ad Parochum, qui hoc facere potest per mandatarios, sive libitinarios suos.

13 14 Quando vero Defunctorum Haeredes numerum Religiosorum, et Sacerdotum Saecularium in funeribus associandis non destituerint, et sit alias loci consuetudo immemorabilis, ut tale munus ad Parochos attineat, illis ideo cura erit vocare quos liberit. Ita S. C. Ep. et Reg. in una Cassinen. 5. Maji 1517. et S. R. C. 20. Augusti 1601. Rota in Alexandrina funeralium 1. Julii 1630. coram Merlin. et eodem S. R. C. in una Farrarien. 7. Septembris 1613. Caeterum ad Haeredes spectat numerum Religiosorum, et Clericorum sive Confratrum et Puellarum mendicantium assignare in Defuncti associatione, etiam si Cadavera essent in Ecclesiis Regularium sepelienda, S. R. C. Ep. et Reg. in una Cassan. 5. Maji 1617. et S. R. C. in una Lauden. 20. Aug. 1601. et Ep. et Reg. in una Camerinen. 21. Mart. 1642. Barbosa de Off. Par. cap. 26. num. 57. Nec Regulares impediri, vel prohiberi possunt a Parochis, Defunctorum corpora associare: nam hoc esset agere contra sepulturae libertatem, Samuel. d. Tr. 1. contr. 13. concl. 4. num. 10. 11. de sepul. elect.

15 16 Assignato ab Haerede numero, potest Parochus, quoad Clericos saeculares, vocare quos libuerit, dummodo non excedant numerum ab haerede praescriptum, etiamsi non sint illius Parochiae. *Lavor. d. tit. 1. cap. 3. num. 104.* Non potest Episcopus cogere Haeredes defunctorum, ut in funere convovent Clericos Ecclesiae Parochialis tantum, exclusis aliis, donec numerus eorum fuerit impletus: nam cum convocatio ista respiciat privilegium totius Cleri, utique restringendo, aut moderando illud ad proprios Ecclesiae Clericos, libertatem Ecclesiasticam restringere videretur, *Rota. in una Calaguritan. funerum 22. Junii coram Orano, Sylvest. verb. Immunitas 2. n. 6.* et hujusmodi consuetudines detestatur *Sot. de Just. Jur. q. 6. art. 2.* Neque interest, quod jus sepeliendi pertineat ad Ecclesiam Parochialem, quare aliud est jus, per quod quis compellitur sepelire in propria Parochia, et aliud, per quod tollitur facultas evocandi suos Clericos, nisi prius adimpletus sit numerus Beneficiatorum Parochialis. Ad hoc faciunt notata in *cap. vestro, de locat.*

17 De congruo tamen videtur, quod praeferendi sint Clerici, qui Ecclesiae illi Parochiali inserviunt, et sunt adscripti, ita ut si incommodum sentiunt, commodi etiam participes fiant; quod prudentiae, et discretioni Parochi relinquendum est.

18 19 20 21 Modo de signis per Campanas dandis verba sunt facienda. Olim mos fuit ad Defunctorum funeralia, populum Tintinnabulis convocare, *Maggius de Tintinnabulis.* Hodie vero per Campanas fit, ut Populus ad pias pro Defuncto preces fundendas moveatur. Pro unoquoque fidei Adulto defuncto, per tres vices pulsari Campanas vult *Samuel. d. Tr. 2. Contr. 4. Concl. 3. 4. et 5.* Prima vice quando est in Agone positus, et Deo est spiritum redditurus; fitque ut audientes, Deum orent pro illo. Secunda cum Animam expiravit, et vocatur Transitus: Tertia demum quando ad sepulchrum comitatur. Sed mos est communis, pluries pulsare, et saltem per quatuor, vel quinque vices. *Samuel* enim nihil loquitur de signis dandis pro sepultura, neque de aliis pro Officio funebri in nocte antecedenti, atque in mane ad initium Officii, et propterea dicit *Textus, Juxta loci consuetudinem etc.*

22 23 24 Loquendo hic de signis dandis cum campanis pro sepultura a Parochiali Ecclesia, et ab illa, in qua tumulandum est Cadaver, dico, consuetudinem esse, pro Viris, tria signa dare: pro Foeminis, duo; ad significandum, Foeminam esse imperfectioris naturae. *Samuel. Concl. 6. num. 1. Bellet. c. 161.* Pro Religiosis, et Sacerdotibus tum Saecularibus, tum Regularibus, quinque signa dari solent, et numero majora pro Summo Pontifice, et Episcopis, juxta regulas praescriptas per Caeremoniale Episcoporum, et per Caeremoniale Romanum.

25 Unaquaeque tamen dioecesis habet suas particulares consuetudines, a quibus non recedere erit prudentis Parochi. Plures enim habentur haec signa in aliquibus locis, quam quaecumque alia funeris pompa: ideo servari solitum melius erit, quam rixas, et contentiones apud Defunctorum Haeredes suscitare, licet ratio Parochi sit Ritui magis consona.

26 27 Nomine autem signorum, seu Campanarum, nihil accipiendum pro eleemosyna a Parocho, sed tantum mercedem assignandam esse ab Episcopo illi, qui talia signa dat, habemus ex *S. Carolo, Act. p. 1. Prov. 2. c. de funer. et exeq. et Prov. 4. p. 2. verbo Campanae.* Quod vero expensae pro pulsandis Campanis numerentur inter alias funerales expensas, non potest in dubium revocari; et inter illas reponuntur a *Cortiad. dec. 160. n. 13. Hodiern. ad Surd. dec. 12. n. 9. Gam. dec. Lusit. 308. num. 12. et Zaul. ad stat Faven. T. 2. f. 320. num. 7.*

28 *Parochus indutus superpelliceo, et stola nigra, vel etiam Pluviale, etc.* Loco Parochi intelligi potest etiam Capellanus Curatus, qui est Coadjutor Parochi, et onus sustinet Parochiae, atque ideo in hoc etiam casu substitui potest, *Barbos. d. c. 13.*

Et in hoc casu Parochus (etiam si absit) substituto Capellano lucrari debet sua emolumenta funeralia, et capellanus minor pro sua assistentia. Nec currit ratio allata hic sub *tit. 33. n. 33.* nullam mercedem sperari debere de labore non insumpto, quia merces talis illi non debetur pro labore, sed pro emolumento funerali et de jure a priori.

29 De superpelliceo, et stola jam satis dictum fuit pluribus in locis horum Commentariorum, cum istae sint propriae Vestes in administratione Sacramentorum, et Sacramentalium. Color niger utique funereus color est, et moestitiae conveniens, *Gavant. et Corsett. Ind. Rational. et alii Sacrarum Caeremoniarum Scriptores.*

30 31 Pluviale in funeribus, non nisi in Ecclesia adhiberi solet, quando Exequiae celebrantur. In itinere vero, seu Processione cum Cadavere, communiter solo superpelliceo, et stola utuntur Sacerdotes, nisi Cadaver esset Personae insignis, et cum toto Clero ad Ecclesiam portaretur. In hoc casu, vel Parachus primarius, vel dignitas Capituli Pluviali induta procederet ad majestatem ducendam.

32 33 34 35 36 De Birreto nihil loquitur *Textus*; sed hoc etiam de more Clericali modo deferri debet quadratum, nisi tempus pluvium, vel humidum, vel nivolum esset, quia tunc, moderato juris rigore, permittitur usus Pilei, ac etiam Pallii supra Cottam, *ex Synod. Ferr. Verme, c. de Funeribus.* Sed locus est, ut de Cruce aliquid dicamus. Absolute, et simpliciter loquendo, de communi praxi, et usu, atque de jure Canonico, una tantum Crux est erigenda in Funeralibus, quod

fit devotionis causa, in memoriam Passionis D. N. Jesu Christi Crucifixi, et in signum, quod homo ille, qui in funere defertur, mortuus est in signaculo Crucis, Circa quam Crucem multae ortae jam sunt, et in dies oriuntur quaestiones, et difficultates ob praeminentiam, quibus tum Canones, tum Sacrum Congregationum decisiones, tum auctoritates Doctorum, nondum finem imponere valuerunt. Vide Gavantum, Pignatellium, Lavorium, Barbosam, Anacletum, et omnes Canonistas: sed omnium compendium videbis in Samuel. *Tract. 1. disp. 3. contr. 3. concl. 1. et per tot.* Insuper ad eliminanda haec jurgia, integrum volumen in lucem edidit Patavii, anno 1683. et alterum promisit, Bernardinus Manaruta inscriptum: *Apodixis. sive clara discussio veritatis, demonstrans, plusquam 100. rationibus, ac SS. Pontificum, Principumque sanctionibus, non posse RR. Parochos, aut alios in Funeribus, in Eccl. Regular. eis invitatis, de jure, et legitime, cum Stola, aut Cruce intrare, etc.* Nuper quoque scripsit, de funeribus associandis, satis elegans opusculum Hieronymus Prediera Parochus Bononiensis, ac illud typis edidit Bononiae anno 1698. A quibus omnibus Regulae praescriptae circa Crucem, et Stolum in funeribus desumi possunt: quibus nihil addendum habeo, nisi deplorem jurgia illa, quae aliquando evenerunt inter Parochos, et Regulares; hi enim eorum Crucem intra suas Ecclesias renebant tamquam alicujus jurisdictionis signum.

37 Sed gratias Deo aetas nostra referre debet, in qua per Sanctissimam Constitutionem Summi Pontificis Benedicti XIII sublata est haec jurgii occasio, nam Crux valet intrare tuto, et inoffenso pede quascumque Ecclesias, nec jurgia amplius, et contentiones oboriri possunt, cum per futura saecula provisum sit, ut flammis litium extinctis, Crux in funeribus, unice signum sit Christianae Religionis non vero Jurisdictionis. Verba Constitutionis, quae incipit, *Pretiosus, etc. dat. Setia, anno 1727 septimo Kal Junii*, sunt haec: quae licet videantur tantummodo ad favorem Ordinis Praedicatorum pronunciatae, attamen ex ipso Textu satis liquet, extendi quoque ad quoscumque alios Regulares, et Ecclesiarum Parochos, etiam Saeculares. §. 73 *Et ad tollendum deinceps, quantum in Domino possumus, Fidelium scandalum, nimis frequentium Controversiarum Originem, hac perpetuo valitura lege decernimus, licere Cathedralis Capitulo, Parocho, Fratribus Ordinis Praedicatorum, ac caeteris etiam Regularium communitatibus, ad Processiones funebres per quasvis Parochias, singulorum propriis erectis Crucibus, accedere, easque etiam sic peragere, quemadmodum in aliis solemnioribus Processionibus contingit et ita etiam in Ecclesiam tumultantem ipsorum Fratrum, ordine, quo in via incedebant, ingredi, atque facta adoratione ad Altare, in quo asservatur Sanctissimum Sacramentum, aut*

etiam Exequiis persolutis, recedere, Parocho quoque in eandem Ecclesiam tumultantem cum Stola intrare; ac respective Fratribus associare debentibus Defuncti Cadaver cum Parocho, ne interim contingat illos in vicis, et Plateis supersedere, in Parochialem Ecclesiam, etiam cum Cruce erecta ingredi licitum fore, Auctoritate Apostolica, Motu, et scientia praedictis, mandamus, et volumus. Non obstantibus, quoad praedicta omnia, et singula, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, caeterisque omnibus, et quibuscumque in contrarium facientibus, quibus omnibus expresse, ac plenissime derogamus: declarantes, et, quatenus opus sit decernentes, ac matura deliberatione mandantes; Crucis erectiones, Stolae delationem, et ingressus in Ecclesias, in omnibus, et singulis enumeratis, et caeteris quibuscumque similibus casibus, nullam penitus Jurisdictionem importare, aut minimum in aliquo praejudicium cuicumque irrogare, aut quomodocumque, et quomodocumque irrogare, et in ferre posse, etc. Hoc pacto funera pacatiori ordine procedent, et nulla Cruci injuria inferetur.

38 39 40 Haec Crux, ut jam diximus, in funeribus una erat tantummodo: sed post Constitutiones Pontificias, et decreta a Sacris Congregationibus emanata, insurrexerunt diversa Privilegia Regularibus, et Confraternitatibus favorabilia, quae hodie faciunt, ut plures Cruces in uno funere associando eleventur, *S. C. Ep. Reg. 28. Novembr. 1642 Ursaya T. 5. p. 2. d. 25. a n. 34.* Certe Confraternitates olim non poterant accedere ad funeralia, nisi expresse, et specialiter vocarentur; et in ea associatione nullo modo erigere Crucem poterant, *S. R. C. Adrien. 22. Nov. 1631.* Quinimo etiam Puellae, et Virgines in Conservatoriis degentes, si ad funeralia accedant, Crucem et ipsae propriam elevant, ab aliis distinctam.

41 42 Hoc unum tantummodo usquemodo inconcussum remanet, quod in defunctorum associatione si Capitulum Cathedralis invitetur, ipsum solum, et non alia Parochia defert Crucem *Prax. Arch. Neap. c. 74.* neque Stolum; non tantum ex eo quia Cathedralis dicitur Parochia totius Civitatis, et Dioecesis *c. 1. de Bapt. c. licet, in Regulis 16. q. 3. Gutierrez can. qu. l. 1. c. 27. n. 24.* Sed quia minor Judex, seu Sacerdos non exercet officium, et jurisdictionem praesente majore, nisi major assensiat, *c. denique, dist. 1. c. Presbyter pen. ac c. ult. dist. 95.* et demum quia luminare majus offuscat minus, *c. solitae §. praeterea, de major, et obed. Lavor. Tit. 2. c. 11. n. 66. ad. 69.*

43 44 Hoc tamen dictum sit de associatione: nam quamvis Capitulum Cathedralis gaudeat praerogativa ingrediendi cum Cruce, et Stola Ecclesias Regularium, *Mettheucc. Official. Cur. c. 20. n. 11.* attamen post ingressum in Ecclesiam, non potest cum Cruce funeri assistere, sed adhibenda est Crux Ecclesiae tumultantis, ut respondit *S. R. C. in Aretina 13. Julii*

1607. Monacell. *form. par. 1. for. 7. tit. 5. num. 39.* allegat. a Mattheucc. *l. c.*

45 46 Verum cum Stola concedatur Parochis, non tantum in signum Jurisdictionis tamquam Pallium inter Episcopos, sed ut discernantur ab aliis Presbyteris, prout nuper notavit Joannes Maragoni in *Thesouro Parochorum Romae impresso anno 1726. l. 1. cap. 1. pag. 5. col. 2.* Sed etiam in signum Parochialis dignitatis, quo, etiam in aliena jurisdictione, licet uti, *c. 1. ut in lite pendente, et in c. antiqua, de privileg.* non autem ad denotandam superioritatem: ideo posset concedi sine praedjudicio, ut illam Parochi deferre possent, praesente Capitulo, ne viderentur incedere ut simplices Clerici: quod etiam esset majoris dignitatis, et reverentiae capituli; ex *Lavor. elucubr. T. 1. tit. 2. c. 11. n. 84.*

47 De eo quod dicit Textus, debere Clericum portare eandem Crucem, hoc facile praestari potest in civitatibus, in quibus multi adsunt Clerici adscripti servitio Ecclesiae; sed in Parochiis ruralibus, opus est, ut quandoque Parochi inservire faciant Laicos indutos tamen Sacco, seu, ut dicitur, *Cappa* alicujus Confraternitatis, non autem superpelliceo, quia haec vestis solummodo Clericis convenit.

48 De Cruce item alia disputatio habetur apud Ursaya *discept. Eccl. T. 5. disc. 14.* in una *Tudertin. funerum.* Mos erat apud Tudertinos deferre Crucem Parochialem in funeribus, cum fudariolo, seu linteo telae albae ab eo pendente: sed cum orta esset quaestio, cui de jure deberetur illud sudariolum post datam sepulturam Defuncto, *S. C. Concilii sub die 13. Aug. 1718.* mandavit illud amplius non afferri cum Cadavere, nec ab Haeredibus Parocho consignari.

49 Clerici quoque deferre debent Aquam benedictam in suo Vale cum Aspergillo, ut eam adhibere possit Parochus cum ad domum Defuncti pervenerit, Cadaver aspergendo.

50 51 Et quoniam de domo Defuncti loquuti fuimus, non per hoc intelligi debet, quod domus haec sit illa, in qua habitare solebat qui defunctus est: sed intellige de illo loco, in quo exponitur defunctus, ut deducatur ad sepulchrum: nam in praxi est, esse nonnullas Personas, quae cum mortuae sint, exponuntur in loco diverso a domo sua. Ferrariae mos est, ut cum mortuus fuerit Judex Sapientium, qui caput Magistratum municipalium est, et pro Tribuno Plebis habetur, dummodo moriatur eo tempore, quo in hac dignitate praesidet, ejus Cadaver e domo propria ad Aedes Magistratus deferatur, et ibi in Aula majori exponatur magna funerum pompa, donec adveniat Capitulum Ecclesiae Cathedralis, Clerus, et Ordines in tali funere praescripti, qui Cadaver associantur ad Ecclesiam, in qua humari debeat. Ecce igitur quomodo non semper Cadaver in

sua domo est. Sed fortasse in nostro casu ita fit, quia Aedes Magistratus reputantur domus habitationis ipsiusmet Judicis Sapientium, ex quo palatium illud, pro ejus quotidiana, et diuturna habitatione praescriptum fuit a Papa Clemente VIII. in Institutione Magistratus decem virorum anno 1599. facta, ut videre est in Libro typis edito incripto. *Ferrariae Civitatis recte administrandi ratio: in Rub. de Habitu, seu Vestitu, ac Residentia, at Familia Magistratus.*

52 53 54 55 56 Ad domum igitur, seu ad locum, in quo exponitur Cadaver deferendum, accedere debet Parochus, non autem solus, sed cum quibuscumque aliis invitatis ad funus associandum; ex quo patet, quod omnes isti debent prius convocari, et congregari in Ecclesia Parochiali. Non autem in alia, nisi de consensu Parochi. Attamen quamvis haec sit vetus consuetudo Ecclesiae Ferrariensis, numquam quod sciam interrupta, adsunt leges in contrarium. Sacra enim Congregatio Ep. et Reg. in una *Viglevanen 13. Nobemb. 1600. et in una Bononien. die 9. Decemb. 1617. in altare Bononien. die 3 Julii 1620. insuper Congr. Concilii ad instantiam Card. Archiep. Ludovisii in §. Ad quartum dubium. Item S. R. C. in una Thelesina 12. Feb. 1633. et in Limanensi 15. Decemb. 1632. et S. C. Ep. et Reg. in una Tropiensi 16. Febr. 1631. et in una Senogallien. 26. Aug. 1616. ralat. a Samuel. Tr. 1. contr. 12. concl. 1. n. 2. diversimode sentire videntur. Ex eorum enim Congregationum decretis concluditur, quod illi, qui sunt ad funus vocati, debent omnes convenire, aut in Ecclesia Parochiali, aut in domo, aut in loco, ubi Cadaver reperitur, etiam Regulares, quando vocati fuerint, aut in eorum Ecclesiis mortui sunt inmulandi, et inde cum Clero saeculari discedere, et proficisci simul omnes ad Ecclesiam, in qua Cadaver est sepeliendum. Tradunt etiam hoc varii Doctores ibi allegati; sed inter illos Lezana *T. 3. verb. Defunctus, num. 3.* aliam affert declarationem *S. C. Ep. Reg. die 28. Nov. 1642.* quae decernit, non licere Regularibus per plateas, ac vias Parochum, et Clerum expectare, sed debere cum eis conjungi in Ecclesia Parochiali. Quod Decretum, cum posterius emanatum sit, videtur derogare prioribus, *Rot. dec. 495. num. 1.* coram Emerich. jun. atque ideo, tali modo, hoc recentius in usu est, et observatur, non tantum a Regularibus, sed etiam a Confraternitatibus, et Puellis mendicantibus; atque idem potest dici de Collegiis collegialiter convocatis, et Artibus; cui usui concordat *Doctrina Barbosae d. c. 25. n. 63. 64. 65.* fundata in Decreto *S. R. C. in una Bononien. 9. Decembris 1617. super allegat.* quod dicit: Vocati omnes ad funus, debent convenire ad Parochialem defuncti, nisi adsit tertia Ecclesia, in qua solitum sit fieri depositum Cadaverum sepeliendorum in Ecclesiis Regularium; quia tunc Regulares debent congregari in illa tertia Ecclesia, et hii*